



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

Opuscula Spiritiva - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De Sacrificio Missae. VI. De Discretionem Spirituum ... Operum Eminentiss. Cardinalis, Tom. I

Bona, Giovanni

Parisiis, 1677

§. 12. Aspiraciones pro quotidianis exercitationibus

urn:nbn:de:hbz:466:1-9969

nus eam mereri potuisse. Illos deinde, quos hujusmodi donis carere conspicis, ne contempnas, aut minoris æstimes: perfectio enim non in his gratiis extraordinariis, sed in ferventiori amore Dei & majori tolerantia consistit. Cave etiam ne nimium afficiaris erga consolationes & delicias spirituales, quæ infusam orationem comitari solent; sed memor psalmi præcipientis, *Divitiis si affluant, nolite cor apponere*; divinæ voluntati conformare te stude cum plena resignatione ad carendum in perpetuum talibus donis, & vivendum, si Deo placuerit, in ariditate & desolatione. Quod si tibi subtraxerit Deus gratiam hujus orationis, & cœlestes illæ divinarum consolationum aquæ defecerint, fuge otium, & strenuè incumbere solidarum virtutum exercitationi, & orationi mentali magis ordinariæ, donec iterum aspiret dies, & lux Spiritus sancti denuo cordi tuo illucescat. Denique hoc donum, dum eo poteris, humilitatis velo sapienter occulta, nec ob illud inaniter insolesce: nam quò magis te abicies, eò altius ab eo exaltaberis, qui superbis resistit, & gratiam præstat humilibus.

9. XII. *Aspirationes pro quotidianis Exercitationibus.*

UT in omni actione tua mens nunquam à Deo defleat, eam subinde ad ipsum elevabis ignitis aspirationibus, quas in principio, progressu, & fine cujusque operis ex intimo cordis affectu elicies. In exemplum sequentes propono.

Adjuva, dirige, & conforta me Domine, ut tecum, propter te, & secundum te hoc opus perficiam, quia sine te nihil sum, nihil possum. Suscipe sancta Trinitas unus Deus hoc exiguum servitutis meæ obsequium ad maximam tui gloriæ, sitque mea unica delectatio & merces magna nimis, ut in eo tibi placeam, licet toti mundo displiceam. Mihi pro minimo est, ut ab hominibus judicer, aut ab humano die, neque diem hominis desideravi, tui seis: sed ad te sunt oculi mei, qui habitas in cœlis.

Purga me Domine ab omni impuritate, averte omnem tepiditatem & negligentiam, da vires menti & corpori, illumina intellectum, accende voluntatem, & da huic operi salutarem progressum, ut à te ceptum per te perficiatur.

Accende me, & promove ad omne opus bonum, clementissime Pater, ut in beneplacito dilecti Filii tui tibi placitis actibus semper merear occupari.

Serviat tibi Domine Deus, quicquid ago, lego, & scribo, quicquid cogito, dico, & intelligo, omne opus meum à te incipiat, & in te finiatur.

Hunc meum laborem tibi, Domine Iesu, gratiam faciant omnium electorum tuorum labores & quicquid ab eis pro tui amore, & honore gestum est: omnia enim illorum opera offero tibi, & per te Patri tuo & ad gloriam tuam.

Ab si mihi liceret elongari ab hominibus, & procul à negotiis vivere in solitudine, quales delitiae! sed si tu, Domine, aliter disponis; fiat voluntas tua.

Quàm bonum est, & quàm jucundum tibi nudè, & simpliciter adherere, Deus meus; qui primum principium, & ultimus finis. Atque utinam, cum foris visor maxima pars mei in te quiescat, in quo est vita mea, & gaudium & voluptas.

Da mihi Domine sedium tuarum assistricem sapientiam, ut mecum sit & mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit coram te omni tempore.

Pœnitet me Domine temporis inutiliter transacti: pœnitet quod parum hactenus te dilexi. Utinam deinceps in rebus tibi placitis semper occuper.

Veni cœlestis amor, & splendidissima luce tua dissipa tenebras ignorantiae meae, tuoque ardore vivifica languentem animam meam; ut videam semper quid agere debeam, & illud opere compleam.

Domine Iesu, omnes negligentias meas & omnia peccata in sanguine tuo pretiosissimo, & in abisso tuae infinitae charitatis ac misericordiae immergo & projicio, rogans te humiliter, ut ea ad nihilum redigas & absorbeas, & nunquam amplius compareant.